



Prot. N. 307/22/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Patre Domino Thoma Ioanne Paprocki, Episcopo Campifontis in Illinois, in centesimo anniversario ex quo Pius Pp. XI sedem Altonensis Dioeceseos in urbem transtulit principem Status de Illinois, "Campifons" nuncupatam, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die VIII Decembris MMXXII usque ad diem IX Decembris MMXXIII lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Campifontis in Illinois Cathedralis vel Altonensem SS. Petri et Pauli ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus pro fidelitate Dioeceseos ad christianam vocationem, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatissimae Virginis Mariae Immaculate Conceptae et SS. Petri et Pauli.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritualiter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut paenitentius dioecesanus, cathedralis clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti per dioecesanum Iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XVI mensis Novembris, anno Dominicae Incarnationis MMXXII.

Maurus Card. Traversari
Paenitentiarum Secretarius

Christophorus Nykula
Lepens